



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

1 Quid sit dispensatio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

frang. verb. lex. p. 47. Tufcus ibi, conel. 1. 64. num. 9. 11. 70. & conel. 2. 95. n. 19. & 20. Hanc tamen communem sententiam limitat Felin. Fatinae. & alij ab ipsis relati, vt procedat in lege, & respecto procedente ex motu proprio Principis, & non ad instantiam partis; quia quando ad instantiam partis emanauit lex, habet rationem priuilegij: priuilegium autem concessum pendente lite etiam motu proprio superioris, non aocet parti aduerse, vt notauit Anton. Holtiens. Imola. Abbas in cap. causam. el. 2. de testam. & Ioann. Andr. de dolo, & contum. §. fin. versic. porro in addito.

18 Verum probabilius mihi est non extendi legem ad pendentiam in iudicio, etiam si mentionem praeceptorum faciat nisi simul mentionem faciat pendentium. Et de statuto id docet: Bald. post Bart. in l. sancimus. C. de sacrosancti. Eccles. Generaliter autem tam de statuto, quam de lege. In quo in hac parte nulla est differentia, vt bene ex Imola notauit Felin. column. 7. vers. limita quarto, id affirmat Bart. in l. omnes populi. num. 40. ff. de iust. & iur. Alexand. consil. 96. num. 4. lib. 2. Alderan. Mascari. de general. statut. inter. preter. conel. 13. n. 33. & seqq. & Felin. repa. rat. probabile. Probo primò, quia ex eo quòd causa deducta est in iudicium, quilibet pars litigans ius aliquod acquisiuit, vt secundum leges tunc vigentes iudicetur. Quod ius laeditur, si lex de nouo lata locum in his, habet: atqui Princeps nunquam detulerit iuri partis litigantis praedjudicare nisi exprimat. Ergo secundo quia in l. leg. 2. C. de legib. expressè habetur leges, & constitutiones futuris negotiis dare formam, neque ad praeterita reuocari nisi nominatim; & de praeterito tempore & adhuc dependentibus negotiis cautum sit. Ergo non sufficit nominare praeterita vt intelligantur pendentia negotia comprehendenda, sed debet mentio fieri negotiorum pendentium. Tertio, lex emanans ad instantiam partis non comprehendit negotia pendentia, ne pars aduersa praedjudicium habeat: at idem praedjudicium sequitur, et si motu proprio lex manet. Adde etiam si lex, vel statutum ad instantiam alicuius fuerit promulgatum: at finis illius non est fauor specialis sed communis utilitas, ex cap. eius autem lex, dist. 11. 4. Ergo postulatio partis non potest obesse, vt lex ad pendentia in iudicio non extendatur, si quando motu proprio Principis emanat, extenditur: cum semper habeat eundem finem, ac proinde eodem modo sit extendenda. Quarto, lex loquens de praeteritis, sufficere saluatur cum tota sua significatione, si comprehendat ea, quae deducta non sunt in iudicio: quare ergo ad deducta in iudicio debemus extendere?

§. VI.

Quam vim sortiantur verba, & litterae commendationis alicuius.

- 1 Duplīciter itaq; commendatio generalis, & specialis.
- 2 Si ex commendatione mea generali Petro res tuas commisitū, non teneor de damno sequi.
- 3 Excipe nisi dolo fecerim.
- 4 Si litterae, vel verba specialia continent verum, non teneor damnum reparare, nisi verba denotent, me voluisse obligationem subire.

1 Duplīciter alicquem tibi commendate possum. Primò verbi generalibus affirmantibus esse virum probum, fide dignum, cui securè negotia tua committere possis. Secundo, si in particulari causas dicas esse hominem, cui tale negotium possit committi, & talis contractus cum eo iniri.

2 Dico primò. Si verbis generalibus tibi commendaui Petrum, & tu hac commendatione filius res tuas Petro commisitū, non teneor de damno tibi sequi, nisi dolo fecerim: delictio est l. & eleganter. §. vltim. ff. de dolo. & l. fin. vers. nec. Cod. cum eo, glossa ibi Anton. Gom. 2. var. cap. 13. num. 5. Salas disp. 2. sect. 9. numer. 23. Rebellus 1. part. lib. 1. quasi. 6. sect. vltim. num. 48. Ratio pro de obligatione in conscientia est clara, quia hac obligatio esse non potest, nisi culpam commiserim in commendatione Petri. At suppono mihi ignotum esse, esse improbum, & infidèle. Ergo nullam culpam in eius commendatione commisi, delicta enim non tenebar praesumere. Pro deobligatione autem exteri fori ea ratio est quia hac generalis laudatio ad vrbaneitatem pertinet; tibi que culpae imputare debes; qui ita facile credidisti & res tuas sine debito examine commisitū.

3 Dixi me deobligatum esse, nisi laudationem dolo fecerim, dolum autem commississe censebor, si sciens Petrum furtis assuescere, pro fideli commendaui: sic Doctores supra relati, & constat ex dist. l. & eleganter. tum ex definitione doli quam tradit gloss. in l. ff. de dolo quae est calliditas quaedam ad decipiendum alium. Et probari potest, tum quia ius habet vniuersique, ne fallacia decipiatur. Si ergo te decipi, & media deceptione causa fui, vt damna patiaris, videor teneri refutacite. Solum in mei fauorem est quia haec verba non videntur de efficaci inducendi damnum, eo quod cordatus, & pru-

dens illis non decipitur. Ergo si tu deceptus es, tuae facilitati debet tribui, non mihi. At video non sufficere hac ratione excusari, si semel cognoui, vel dubitavi te illis verbis esse decipiendum, quia stante tua facilitate iniuriosus fuit vrens illis fallaciis, & mendosis verbis.

4 Maior difficultas est, quando litterae, vel verba continent quid certum, vt g. quando circa casum specialem laudo Petrum, & dico fidelem esse, quo cum inire potes talem, vel talem contractum, &c. An, inquam, tuac sim obligatus.

Et quidem si addidi aliqua verba, quae denotent me velle assecutionem illorum facere, vt si dicerem To lo tamo à mi cuenta, o corra por mi riesgo: non est dubium manere obligatum actione mandati. textus in l. si verba non remunerandi, §. si quis mandauerit. ff. mandati, & ibi gloss. & Doctores communiter. Anton. Gom. illo c. 13. n. 5. Salas disp. 2. sect. 9. in princ. Rebellus de oblig. iustit. lib. 1. q. 6. n. 47. & segq. Ratio, quia illa verba non tamen continent approbationem personae, quam susceptionem alieni periculi.

Verum si absque his verbis petrum laudarem, & tibi commendarem, quantumcumque in negotio speciali commendatio fieret, si absque dolo feci credo probabilius me non teneri damna reparare. Quia non inuenio in hoc casu aliquam specialem rationem, quae in laudatione generali non procedat: & fauet regula iuris 6. in 6. Nemo ex consilio, nisi fraudulenter sit, obligatur: & ita tenet Rebellus illa quasi. 6. sect. vlt. n. 49. Salas eius verba transcribens sect. 9. Credo tamen in foro extero commendandum fore actione mandati, si citra rem aliquam specialem Peum tibi commendassem, affirmans te posse securè cum illo contrahere; quia praesumor quasi mandare ex l. Lucius ff. de fideiuss. & l. si litteras, C. mandati, glossa, Bart. Bald. & alij, quos refert & sequitur Anton. Gom. n. 5.



DISPUTATIO VI.

De dispensatione legis.

PRAE manibus habenda est huius disputationis doctrina, vt pote in praxi maxime frequens; ex illa enim dependet decisio plurimum difficultatum in variis materiis contingentium. In tres partes hanc disputationem diuidemus. In prima agemus de natura dispensationis, & causis illius: quis, inquam, concedat dispensationem & quibus concedatur. In secunda de conditionibus requisitis ad valorem dispensationis. In tertia de causis, quibus dispensatio cessat; vbi de interpretatione illius. Si autem aliqua in huiusmodi disputatione desiderantur, ex disputatione de priuilegiis petenda sunt.

PUNCTVM I.

Quid sit dispensatio.

- 1 Definitur dispensatio in genere.
- 2 Proprius, & ad rem definitur ab aliquibus Reuicetur & statuitur propria definitio.
- 3 Dispensare non est legem interpretari.
- 4 Neque etiam est permittere.
- 5 Dispensatio differt ab absolute à peccatis & censuris.
- 6 Differt à simplici licentia requisita per legem.
- 7 Differt à legis abrogatione, & derogatione.
- 8 Differt à priuilegio.
- 9 Legis dispensatio, & dispensatio voti, & iuramenti multum differunt.

1 **S**I nomen dispensationis in genere sumatur, eius definitio est, iusta partem communium distributio; iuxta illud Lucae 12. Quis putas est fidelis dispensator? & 1. ad Corinth. 4. Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. & cap. 9. Dispensatio mihi credita est. Eadem dispensationis acceptio constat ex iure ciuili & text. in l. dispensatori, §. 1. & in l. dispensatorem, §. 1. ff. de solution. l. vrbana, 166. ff. de verb. significat. Et ex iure canonico idem habetur, cap. dispensatio, 43. dist. & in extravaug. vniuersis, de penitent. & remission. & tradunt doctores statim referendi. Verum omnia haec dispensationis lata acceptatione, dispensatio apud Theologos, & iurisperitos sumitur pro exemptione alicuius à lege, ex l. princeps, ff. de legib.

2 Dispensatio communiter sic definitur. Est relaxatio iuris communis cum causa cognitione facta ab eo qui potestatem habet relaxandi, sic glossa penult. in princ. in c. requiritur, §. nisi rigor. 1. q. 7. Couarr. de sponsalib. p. 2. cap. 6. n. 1. Nauarr. in sum. precludio 9. n. 15. Sanchez. plures referes lib. 8. de disp. disp. 1. m. 2.

& alij. At hæc definitio sustinenda non est. Primò, quia dispensatio non solum est iuris communis, sed etiam municipalis, & synodalis: quod ius nomine iuris communis non venit intelligendum, ex cap. 1. de constitution. in 6. Secundò, ad dispensationem, cuius vis non semper exigitur, vt postea videbimus, nisi valorem, causa non semper requiritur, quare Sanchez hæc particulam cum causa cognitione, à definitione dispensationis excludit. Tertiò, neque etiam videtur apponenda illa verba, facta ab eo, qui potestatem habet relaxandi, quia in ipsamet relaxatione legis includitur debere fieri ab habente potestatem; aliis etiam deberet exprimi causa materialis dispensationis, & conditiones, quæ ad valorem illius requiruntur. Quapropter aptior definitio hæc esse potest. Dispensatio est iuris alicuius relaxatio, seu exemptio alicuius à legis obligatione, sic colligitur ex c. de multa, de præbend. cap. necessaria, cap. dispensationes, c. tanta, c. si qui 1. quæst. 7. quibus in locis vocatur dispensatio relaxatio, seu moderatio canonum & in c. supra pietatis, §. si inquirat, 23. q. 4. vocatur ab August. vulnus contra irregularitatem severitatis; & ita tradit Salas disp. 20. sect. 1. vers. vt tamen. Basil. de Leon. lib. 8. c. 1. n. 3. Stat. lib. 6. cap. 10. n. 7. Salas disp. 20. sect. 2. n. 9. & alij plures apud ipsos.

3 Ex hac definitione inferitur primò dispensare non esse interpretari legem pro illo casu non obligare; sed est exemptio à lege, illius obligatione posita: constat ex iuribus supra relat. & tradit plures referens Suarez num. 2. Basil. num. 4. Salas sect. 1. n. 4. Valquez 1. 2. tom. 2. de legib. disp. 178. à n. 6. Sanchez lib. 8. disp. 1. n. 1. & 10. 4. summ. cap. 37. quæst. 1. Et ratio est manifestata. Primò, quia interpretatio non est actus iurisdictionis, sed doctrinæ argum. textus in §. constat ansem ius nostrum. vers. Responsa prudentum. Insti. de iure natur. Quilibet enim vir doctus interpretari potest legem in tali, vel tali casu non obligare, dispensare autem non potest. Quod si in casu dubio alteri à superiore non permittitur interpretatio, non inde inferitur interpretationem esse actum iurisdictionis, sed doctrinæ, referuntur tamen superiori. Secundò, sæpè dispensat legislator, certis obligationem in dispensato non cessare, vt coningit, cum tecum dispensat in eiu ovotum, eo quòd erogaverit pro subsidio contra infideles duo dragmna in acceptioe Bullæ cruciatæ, & in impedimentis ad matrimonium, & ad ordines ratione alicuius canonici impedimenti, manifestè apparet. Tertiò, si dispensatio esset declaratio legis pro illo casu non obligans, quod evidenter constaret eam esse omnino similem, posset quis abique dispensatione se à legis obligatione eximere, quod est absurdum. Quartò, sequeretur æqualem potestatem esse in Principe ad dispensandum in lege propria, ac in lege diuina, & naturalis in lege propria, nulla alia potestas conceditur præter potestatem declaratiuam. Quindò, non posset in propria lege negare dispensationem; quia non potest in propria lege illius declarationem petiam repellere. Neque credendum est D. Thom. 3. 97. art. 4. in corp. & ad 3. oppositum sentire, vt aliqui recentiores illi attribuant; quia ibi loquutus est D. Thom. de dispensatione late sumpta, prout est quædam gubernatio, ordinatio, & distributio attentata personarum necessitate, & qualitate: tum quia dicit legislatorum alicui licentiam concedere non obseruandi præceptum, cum videt communi bono non expedire. Et quo non inferitur cessare ipso facto obligationem, sed esse eam sufficiens, vt illam relaxet.

4 Inferitur secundò dispensationem non esse permissionem propriè, quia dispensatio tollit legis obligationem in dispensato: at permissio illam non tollit. Deus enim permittit peccata, non tamen in illis dispensat. Quapropter permissus facere contra legem, committit culpam, & pœnæ subicitur, etiam si eius executionem distimulat; at dispensatus nullam culpam facit contra legem operans. Interdum verò dispensatio solet appellari permissio, & distimulatio c. dispensationis, 1. q. 7. sed non propriè sic Salas disp. 20. sect. 1. n. 5. vers. secundò. Basil. lib. 8. c. 1. n. 5. Suarez lib. 6. c. 1. n. 3.

5 Inferitur tertiò dispensationem differre ab absolutione à peccatis, & censuris; quia horum absolutione non vulneratur ius, sed potius ius ipsum impletur. Ius enim iubet rectè disposito absolutionem à peccatis, & censuris concedi; at ius non iubet semper dispensationem facere. Item potest secum quis dispensare, vt dicimus, se tamen non potest absoluerè. Denique absolutio, vt pote iuri conformis, late est interpretanda, secus verò dispensatio, sic Suarez lib. 6. cap. 10. à num. 9. Basil. lib. 8. cap. 1. num. 5. Salas sect. 1. coroll. 3. & colligitur ex glossa cap. episcopus, §. castorum, de electione, in 6. verbo dispensatio. Panor. cap. cum litteris vestris, m. 2. de rebus.

6 Inferitur quartò dispensationem differre à simplici licentia requisita per legem. in eo, quòd licentia non est contra legem, sed potius pro lege; neque licentia tollit per se obligationem legis, sed potius per ipsam obligationem legis fit factis. Qua ratione cum Prælati tibi conceit egressum à monasterio proprio, & Pontifex ingressum in monasteria monialium, & Episcopus ex legitima causa non tecum dispensat, sed apponunt conditionem à lege requisitam: lex enim cautebat, ne à monasterio proprio absque licentia exires, neve in monialium monasteria intares abique licentia illius, qui eam po-

test concedere. Cum ergo tibi Prælati ad hos actus facultatem concedit, iam lex non obligat, quia ex apposita licentia, illius materia cessabit. Et idem est, cum tibi facultas conceditur donandi, vel accipiendi nummos, nullo modo in voto paupertatis dispensatis, quia huius dispensatio solum est Pontificis argument. text. in cap. cum ad monasterium de statu regul. sed cessat casus, pro quo voto teneris. sic Basil. n. 5. Salas sect. 2. circa fin. Suarez n. 11.

7 Inferitur quindò, dispensationem differre à legis abrogatione, & derogatione: in eo quòd abrogatio est cassatio totius legis, tam quoad materiam, quàm quoad personas. Derogatio verò est cassatio legis pro aliquo tempore, vel pro aliqua parte communitatis, vel pro aliqua parte legis, si lex secundum materiam habet latitudinem: constat ex l. derogatur, 102. ff. de verborum significat. & ex l. derogatur, ff. de reg. iur. ibi, derogatur legi cum pars detrahatur; abrogatur, cum prorsus tollitur, Sanchez lib. 8. disp. x. num. 1. Salas disp. 20. sect. 1. circa prin. Suarez n. 12. Basil. n. 5.

8 Inferitur sextò, dispensationem differre à priuilegio, quia dispensatio semper est contra ius: at priuilegium non est semper contra ius, sed sæpè præter ius. Quando verò priuilegium est contrarium iuri, idem est, ac dispensatio, & eodem modo causam requirit, sic Salas sect. 1. circa finem. Suarez lib. 6. cap. 10. n. 13. Basil. n. 5. Sanchez lib. 8. disp. 1. n. 1. Deinde dispensatio sæpè non est permanens, hoc est, non est pro vltis pluries repetito contra legem, sed est pro vltis actu determinato: at priuilegium semper consistit in facultate permanenti operandi contra legem, vt diximus explicando priuilegij naturam, & notauit Salas sect. 1. in fin.

9 Inferitur septimò, dispensationem legis, & dispensationem voti, & iuramenti multum differre. Primò, quia dispensatio in voto, & iuramento nunquam fieri potest validè sine causa: at legis propriè dispensatio optime potest, vt dicemus. Secundò in voto, & iuramento dispensat Prælati nomine Dei, cui est ius per votum acquiritum: ipse autem vices suas Prælati committit: in lege autem proprio nomine propriè dispensat. Tertiò in voto fieri potest commutatio, etiam propria auctoritate, si fit in melius, & in euidenter æquale, seu admodum probabilem sententiam: at in lege nunquam potest dari commutatio, quia obligatio voti à volentis voluntate ortum habuit, & solum dignum honorem respicit, qui cum per materiam meliorem, vel æquè bonam conferuatur, poterit ex voluntate volentis mutari: at legis obligatio ex voluntate legislatoris pendet, ac proinde à sola voluntate legislatoris pati potest mutationem: sic Valquez disp. 178. cap. 2. Salas sect. 1. sub num. 5. & sect. 2. num. 7. Aduerto ex suprascriptis Doctoribus ex iuramento sæpè orti non solum obligationem Deo, sed etiam alteri homini: vt si in fauore alicuius fecerit iuramentum, ipseque acceptauit, non poterit commutare, illo non consentiente, & licet Prælati possit relaxare obligationem Deo factam: at sæpè non potest obligationem homini acquiritam, quia illius vices non habet.

PUNCTUM II.

An dispensatio cadere possit in his, quæ iuris naturalis, & diuini sunt.

- 1 Explicatur ius naturale tum fundatum in voluntate humana, tum in diuina, tum in conuenientia rerum.
- 2 Aliqua dicuntur de iure naturali non præceptiuo, sed concessiuo.
- 3 Ius præceptiuum mutari non potest, secus ius concessiuum.
- 4 An ius naturale præceptiuum, seu præcepta naturalia dispensari in aliquo casu possint? Proponitur dubitanda ratio.
- 5 Probabilis censet in nullo iure naturali cadere posse dispensationem.
- 6 Satisfundamentis n. 4. adductis.
- 7 Expenditur quorum præceptorum naturalium possint Prælati facere dispensationem indirectam.

Ius generale voco, quod ab ipsa natura rationali ortum habet; ab ipsa enim natura rationali ortum habet malum à se futurum, non tubuenire pauperi, non defendere innocentem, cum possim. Hoc autem ius naturale, aliquando fundatur in voluntate humana, aliquando in diuina omnino libera, aliquando in sola conuenientia cum natura rationali. Ius ergo naturale fundatum in voluntate humana, est iuramentum, votum, matrimonium, & quilibet alius contractus; natura enim ipsa dicit hæc omnia seruanda esse, eo ipso, quòd facta sint. Ius verò naturale fundatum in voluntate diuina omnino libera est illud, quod ex institutione sacramentorum, & mediourum ad salutem pertinentium promanar; facta enim institutione horum sacramentorum ratio ipsa naturalis dicit honestè, & religiosè esse tractanda. Denique ius naturale ortum ex sola conuenientia cum naturali natura est tum affirmatiuum,